

za. Decretum enim contra Acephalos, quibus plus iusto favebat *Theodora* Augusta, publicavit, & *Mennam* Patriarcham Constantinopolitanum a communione suspendit, quod pravis suis suggestionibus plurimos Episcopos ad subscribendum Justiniani Imperatoris Edicto compulisset; sed, rogante postea *Theodora* Imperatrice, quinque post menses *Menne* communionem *Vigilius* restituit. Obtinuit etiam idem Pontifex a Justiniano Imperatore, ut Constantinopoli anno *DLVII*. haberetur Synodus *Ixx*. Episcoporum, in qua causa trium Capitulorum diligenti, & maturo examine ventilari posset. Huic Synodo praesuit *Vigilius*, sed cum secus ac sibi persuaserat, rem succedere, nec inter Episcopos convenire antheadverteret, interrupit Synodum, & statuit per semetipsum proferre sententiam; ac tandem diuturnioris morae in Urbe Regia impatiens, & Justiniani violentiis fractus, *Judicatum* ad *Mennam* Patriarcham Constantinopolitanum dedit, in quo, praeter omnium expectationem, propugnata huc usque tria Capitula, mutata de repente sententia, damnavit; adjecta tamen hac clausula: *Salva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonensis*. Hac apposita clausula autumavit *Vigilius*, se utrique parti fecisse satis, quod tria Capitula damnaverit; *Latinis*, quod tria Capitula damnaverit; *Latinis*, quod salva Synodo Chalcedonensi id se fecisse significasset. Sed vana spe delusus est. Nam ubi primum *Vigilii Judicatum*, quo tria Capitula damnabantur, & nova Justiniani Imperatoris Edicta in Occidente innotuerunt, conquire simul singuli, ac deplorare coeperunt Synodi Chalcedonensis auctoritatem a *Vigilio* depressam, proditam ab illo fidem, & Ecclesiam pravo dogmate imburam. *Africani*, & *Illyrici* Episcopi *Judicatum* *Vigilii* improbarunt, quin, *Russicus*, & *Sebastianus* doctissimi Ecclesiae Romanae Diaconi, qui antehac *Judicatum* *Vigilii* approbaverant, se postea a communione illius quasi Concilii Chalcedonensis praevaricatoris segregarunt, & *Aurelianus* Arelatensem Episcopum, necnon aliquot Galliarum Episcopos in suas partes pertraxerunt. Uno verbo, fremebat, & tumultuabatur universus Occidens, palamque, & *Vigilii* Papae *Judicatum*, & Justiniani Imperatoris Edictis, non modo Episcopi, sed integra plebes refragabantur. Quare cum in dies nova turba ob illam de tribus Capitulis Quaestionem in Ecclesia exorirentur, *Oecumenica* Synodo ad illas conspiciendas opus esse, non tantum *Vigilius*, sed *Justinianus*, quoque intelligebant. *Vigilius* priori inherens sententiae in Italia, aut in Sicilia Synodum cogi peroptabat, nec semel id a Justiniano Imperatore se obnixè petiisse, testatur in suo *Constituto* anno *DLIII*. ad eundem Imperatorem dato. At *Justinianus* in Urbe Regia Synodum celebrari voluit. Consensit tandem *Vigilius*, sed interim *Judicatum*, quod emisserat, ex manibus *Menne* Patriarchae Constantinopolitani recepit, & omnem deinceps de tribus Capitulis quaestionem, usque ad indictam Constantinopoli Synodum sub Anathematis pena interdixit. Pauci Episcopi ex Occidente cum ad Synodum accederent, & aliunde *Vigilius* sine Occidentibus Episcopis quidquam decerni nollet, *Justinianus* Imperator tam longam moram ægè fe-

rens, incensore saepe laudato *Theodoro* Caesarea Episcopo, Edictum contra tria Capitula publicavit, illudque palam in Ecclesia Regiae Urbis, & alibi affigi iussit. Hoc Imperatoris contra tria Capitula Edictum statim ac publicatum, & affixum intellexit *Vigilius*, in Placidianam domum, accitis tum Latinis, tum Graecis Episcopis, excommunicationem comminatus est, si Edicto Imperatoris obtemperarent. Sed *Theodorus*, Auctor Edicti, minis Summi Pontificis insuper habitis, Graecorum Antistitem catervam secum trahens, ad Ecclesiam, in qua suspensum erat Edictum, se contulit, ibique Sacro-Sancta Mystra celebravit. Videns Imperator *Justinianus*, quod *Vigilius* non modo Edictis Imperatoris adversaretur, verum etiam, & eidem obtemperantes Ecclesiastica communione privaret, ira accensus est, eumque custodiae tradi iussit. Quocirca *Vigilius* sibi timens, confugit una cum *Datio* Mediolanensi Episcopo in Ecclesiam Sancti Petri in Hormisda, ibique eum commorantem *Belisarius*, *Cothegus*, & *Petrus* Exconsules, ipse *Justinus* Imperatoris Justiniani nepos, cum *Marcellino* Quaestore, adierunt, ut accepto juramento, & data Imperatoris fide, in Placidianas *Edes* rediret. Rediit quidem Summus Pontifex, sed sancta posthabita fide, cum in dies saevius se tractari animadverteret, biduo ante Natalem diem Christi Domini fugam meditatus, nocte intempesta ex Placidiano Palatio caecis vestigiis discedens Chalcedonem se recepit, atque apud S. Euphemiae Templum latuit, quem *Datus* Mediolanensis Antistes, alique Latini Episcopi secuti sunt. *Vigilii* fugam ubi compertam habuisset *Justinianus*, Legatos ad ipsum Chalcedone agentem misit, qui eum rogarent, ut accepta iterum publica fide, Constantinopolim rediret. Sed nihil Legati promoverunt, immo *Vigilius* Encyclicam Epistolam de suis calamitatibus scripsit. Noluit tamen, ne Imperatoris animum exasperaret, latam in *Theodorum* Caesarea Cappadocum Metropolitanam depositionis sententiam, & communionis suspensionem adversus *Mennam* Patriarcham Constantinopolitanum promulgare, sicut ipsemet testatur in sua Epistola Encyclicae (a). Hac *Vigilii* Papae constantia victus Imperator *Justinianus*, Edictum, quo tria Capitula damnaverant, sustulit, eoque sublato, *Theodorus*, *Mennas*, & alii ejusdem factionis Episcopi fidei, & poenitentiae libellos supplices *Vigilio* Papae obtulerunt; ac de injuriis ipsi factis veniam sunt deprecati. His peractis, Constantinopolim reverso Summo Pontifici *Eutybium* Patriarcha Constantinopolitanus, qui in locum *Menne* demortui successerat, suae fidei professionem exhibuit, eumque rogavit Epistola a se, & ab *Avollinari* Alexandrino, *Domno* Antiocheno, & *Elia* Thessalonicensi Patriarchis subscripta, ut trium Capitulorum causam terminandam inchoaret. Consensit quidem *Vigilius*, ea tamen lege, ut in hac dijudicanda ac dirimenda trium Capitulorum Causa, tot essent Episcopi Latini, quot Graeci.

(a) Suspendit equidem *Vigilius* edicti sui in *Mennam* & *Theodorum* publicationem per aliquod tempus, sperans futurum, ut tandem resipiscerent; sed illis in pervicacia perseverantibus, tandem latam antea sententiam palam promulgavit,

ut

ut colligere mihi visus olim sum ex fragmento quodam a Baluzio vulgato Miscellan. tom. V. pag. 461. in meis ad Baronium notis ad an. 546. 7. Ita enim ibi legitur: tunc demum per diversorum Basilicas in Civitate regia, & in locis celeberrimis, proposita est charta damnationis praesui Theodori vel excommunicationis Episcoporum diversorum huius erroris consentientium. Quae charta tamen ante praeteritis mensibus facta est, ut dictum est, in Basilica B. Apostoli Petri in Ormisda. Cum vero hic nihil dicatur de *Menna*, qui tamen in sententia lata Chalcedone exprimebatur, suspicio inde nasci potest *Vigilium* se continuasse ab eo explicando, ne *Justinianum* magis magisque irritaret.

D. Hac a *Vigilio* Papa apposita conditio fuitne observata?

M. Non fuit observata. Graeci siquidem Episcopi hac intellecta *Vigilii* Papae voluntate, tumultuari coeperunt, asserentes, se ex longinquis Provinciis Synodi *Oecumenicae* causa venisse, huius auctoritatem ac nomen deprimi si a pacifissimis celebraretur; plurimos sapientissimos excludendos, si pari cum Latinis numero coeundum sit. Synodos frequentissimas a solis Graecis fuisse celebratas; in Chalcedonensi sexcentorum & triginta Patrum Conventu, Legatos tantum *Leonis* Papae ex Latinis interfuisse; Nicenam omnibus venerabilem Synodum ex Graecis tantum constitam; notam esse Episcoporum Occidentalium in trium Capitulorum defensione obstinationem, cum quibus, si, exaequato numero, Orientales Episcopi disputationem inire deberent, paribus hinc inde suffragiis, re infecta Concilium dimissum iri dicebant. His Episcoporum Orientalium auditis rationibus, *Justinianus* Synodum celebrari iussit anno *DLIII*. At *Vigilius*, videns conditionem, quam ad Concilii celebrationem postulaverat, ab Orientalibus Episcopis & a Justiniano Imperatore fuisse rejectam, noluit, illustri licet legatione invitatus, huic Concilio interesse. Immo, publicavit suum *Constitutum*, in quo primo queritur, quod Synodus contra pactas condiciones fuerit coacta. Secundo, aggreditur disputationem de tribus Capitulis, & LX. sententias, quae *Theodori* Mopsuesteni esse dicebantur, per *Benignum* Episcopum Heracleae Macedoniae ad se ab Imperatore transmissas, damnat. Tertio, *Theodori* Mopsuesteni nomen ac personam damnari non posse multis argumentis probat. Quarto, decernit, *Theodoretum* Cyri Episcopum, ejusque scripta speciatim proferri non debere, cum in Synodo Chalcedonensi *Nestorio* Anathema dixerit. Demum, nec Epistolam *Ibae* Edesseni Episcopi sub ejus nomine damnandam censet, tum quia relecta illa Epistola in Synodo *Oecumenica* Chalcedonensi Orthodoxus *Ibas* judicatus est; tum quia etiam decretis ejusdem sanctissimae Synodi *Ibas* subscripsit. Huic *Vigilii* Papae *Constituto* subscriperunt sexdecim Episcopi, sed eo non obstante *Vigilii* *Constituto*, quod ne quidem in Synodo lectum est, Episcopi congregati tria Capitula, hoc est, *Theodori* Mopsuesteni libros, ejusque personam; *Theodoretum* Cyri Episcopi scripta contra S. *Cyrillum* Alexandrinum, & Epistolam *Ibae* Episcopi

Edesseni ad *Marim* Persam damnarunt. *Baronius*, alique *Anastasium* Bibliothecarium secuti memoriae prodiderunt; hanc sententiam in tria Capitula prolata in quinta Synodo generali non statim approbasse *Vigilium*, & ob id in exilium pulsatum; sed tandem ad subscriptionem inflexum tria Capitula damnavisse, quintam generalem Synodum sua auctoritate approbasse, & omnia, quae ad trium Capitulorum defensionem a se, vel ab aliis antehac dicta aut gesta fuerant, nulla & irrita declarasse, ut videre est in Epistola Summi illius Pontificis ad *Eutybium* Patriarcham Constantinopolitanum. Sed de hac quinta Synodi generalis approbatione, facta a *Vigilio* Papa, opportunius in sequenti Colloquio differemus.

D. Hac quinta Synodi generalis definitione fuitne tandem finita trium Capitulorum causa?

M. Non omnino finita fuit, sed Venetiarum, & *Illyriae* Episcopi Schisma fecerunt, & incensore *Paulino* Aquilejensi Metropolitano, Synodum anno *DLVII*. celebrarunt, in qua tria Capitula, citra Concilii Chalcedonensis injuriam damnari posse negarunt. Pro hujus Schismatis extinctione strenue adlaborarunt Summi Pontifices *Pelagius* II. & *Gregorius* Magnus. Duravit tamen usque ad *Sergium* I. qui an. *DLXXXVII*. Summum Pontificatum adeptus est (a). Verum, quamvis absoluta quinta Synodo generali pax confestim non fuerit reddita Ecclesiis, inde tamen elevari, & deprimi non debet illius auctoritas. Quis enim nescit, post Nicenam *Oecumenicam* Synodum ingentes tumultus ab Eusebianis, & Meletianis fuisse excitatos, & tandem post generale Chalcedonense Concilium, multas ab Haereticis *Acephalis* turbas ac tragœdias motas esse? quid igitur mirum, si post quintam generalem Synodum pax Ecclesiae, maxime Occidentali, quae tria Capitula damnare nolebat, statim reddita non sit? Huic itaque quinta generali Synodo, quae tria Capitula jure optimo proscripsit, prava dogmata confodit, & viam, quae tenenda est, docuit, adscribi minime debet malitia, seu obstinatio quorundam, qui postea rebelles lumini fuerunt, & in praconceptis suis opinionibus, seu in defensione trium Capitulorum, pervicaces Schisma constarunt, quo ab Ecclesia divulsi sunt.

(a) Schisma Aquilejense plus aliquid lucis accepit, ex quo P. Jo. Franciscus Bernardus de Rubens monumenta Ecclesiae Aquilejensis evulgavit, atque illustravit. Notat igitur ille sub *Macedonio* Aquilejensi Episcopo an. 553. vel circiter Synodum in Urbe Metropoli habitam esse, in qua rejectum est Concilium Graecorum tria Capitula damnans, & schisma inceptum; eoque Episcopo an. 557. defuncto successit *Paulinus*, qui schisma illud plurimum fovit, ac promovit; coacto ea de re Concilio altero an. 557. a priori illo sub *Macedonio* diverso, sed eundem scopum habente. Sub eodem *Paulino* Sedes Aquilejensis in Insulam *Gradam* translata est; eademque *Gradenis* Sedes nomen Aquilejensis obtinuit; diuque retinuit. Ita res sese per plures annos habuerunt. Accidit demum, ut in Insula *Grado* eligeretur Catholicus Antistes, atque tunc Schismatici ad pristinam Aquilejensem Sedem redierint, relicto Catholicis *Grado*. Ita una Sedes

Aquile-

„ Aquilejensis in duas dissecta est, amboque idem  
 „ nomen Aquilejensis retinuerunt, quamquam apud  
 „ nonnullos ita distinguuntur, Aquileja nova,  
 „ va, quo nomine veniebat Gradus, & vetus A-  
 „ quileja, nempe Aquileja proprie dicta. Hæc  
 „ Sedis discussio ann. 606. apud eundem scripto-  
 „ rem assignatur. Ex tunc utraque Sedes suos  
 „ habuit Antislites, utrosque Aquilejenses apud  
 „ veteres vocatos; sed Aquilejensis veteris, qui-  
 „ bus adhærebant Provinciales Episcopi fere om-  
 „ nnes, in schismate perseverarunt. Gradenfes  
 „ vero varias vices passi sunt; modo assumptis  
 „ Episcopis Catholicis, modo Schismaticis. In-  
 „ valuit tamen sanior pars, & Gradenfis Diœcesis  
 „ in communione Romanæ Ecclesiæ persistit.  
 „ Sergio tandem Pontifice adnente, ac Petro  
 „ Cathedram Aquilejensem veterem tenente anno  
 „ 698., ut in Sigeberto legimus, habita est Syno-  
 „odus Aquilejæ veteris, in qua Synodus Con-  
 „stantinopolitana admisa est, & schisma subla-  
 „tum, ita tamen ut discussio Sedis in geminas  
 „ permaneret. Quin & utriusque Episcopo, nempe  
 „ Aquilejensi, & Gradenfi Pallium daretur,  
 „ & Provincia unica scinderetur in duas, qua de  
 „ re Gregorii II. Papæ ad Serenum Gradensem  
 „ Episcopum literæ extant.

D. Quam rationem potissimum prætexebant hi,  
 qui, post quintam Synodum Generalem, tria con-  
 fixa Capitula defendebant?

M. His, qui post quintam Synodum Generalem  
 pertinaciter illa Capitula defendebant, tria  
 præcipue suppetebant argumenta. Primum pete-  
 batur ex anteriori Ecclesiæ more, neminem in  
 Orthodoxæ pacis communione defunctum dam-  
 nandi post mortem. Alterum, erat auctoritas  
 Theodori Mopsuestiæ Episcopi, celeberrimi olim  
 Diœceseos Orientalis Magistri, qui a pluribus  
 credi haud poterat prava sensisse, etsi multas ef-  
 fusiisset locutiones, quæ Nestorii Hæresim sapere  
 videbantur. Tertium, ac principale fundamen-  
 tum erat auctoritas Concilii Chalcedonensis, in  
 quo Theodori Cyri Episcopi fides laudata fue-  
 rat, & Ibe Edeseni Episcopi Epistola ad Maximam  
 Persam perfecta, & approbata erat. Hanc igitur  
 Concilii Chalcedonensis auctoritatem per profer-  
 ripionem trium Capitulorum labefactari, ac peni-  
 tus everti, autumabant. His fundamentis nite-  
 bantur quotquot post quintam Synodum genera-  
 lem trium Capitulorum defensionem suscipiebant.  
 Sed frivola, nulliusque momenti erant adducta  
 illa fundamenta. Ad primum siquidem respon-  
 debant Catholici, Ecclesiam jus habere, eos etiam  
 post mortem anathemate confodiendi, qui,  
 dum viverent, meruerant ab ejus sinu segregari  
 propter Hæresim, Schisma, aut atrocissima crimi-  
 na, in quibus certum erat, illos ad mortem  
 usque perseverasse. Porro, Theodorus Mopsueste-  
 nus Episcopus, quem post mortem anathematiza-  
 vit quinta Synodus generalis, errores in Paulo  
 Samosateni jam proscriptos docuit, ac palam,  
 dum viveret, editis libris, tuitus est, Capitalia  
 fidei dogmata omnium Sanctorum Patrum, fide-  
 lium consensione ante ipsum probata impugnavit,  
 videlicet Christi Divinitatem, & Deiparæ nomen

ac dignitatem in Beata Virgine Maria. Merito  
 igitur Theodorus Mopsuestenus fuit etiam post mor-  
 tem in quinta Synodo generali anathemate per-  
 cussus. Alterum fundamentum petitum ex au-  
 thoritate Theodori Mopsuesteni, quem etiam mul-  
 ti Sancti Patres ante quintam Synodum genera-  
 lem laudibus celebrarunt, elumbe omnino erat,  
 quia Sancti Patres laudarunt Theodorum Mop-  
 suestenum, antequam ejus errores fuissent propa-  
 lati. At semel detectis & in lucem productis  
 ejus erroribus circa Incarnationem Filii Dei, cir-  
 ca peccatum originale, & alia præcipua Catho-  
 licæ Fidei capita, tunc Theodorus Mopsuestenus  
 apud omnes Catholicos male audire cœpit, non  
 secus ac Origenes, qui, ob egregiam Ecclesiæ in  
 confutandis Hæresibus navatam operam, a mul-  
 tis Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis, enco-  
 miis fuit celebratus; sed patefactis ejus erroribus,  
 damnatus & anathematizatus est etiam post mor-  
 tem in quinta Synodo generali. Denique, au-  
 thoritati Synodi Chalcedonensis, cui præcipue ad-  
 hærebant trium Capitulorum defensores, nullum  
 omnino intulit præjudicium damnatio trium Ca-  
 pitulorum in quinta Synodo generali facta; tum  
 quia Theodoretus Cyri Episcopus non fuit in Con-  
 cilio Chalcedonensi susceptus, nisi postquam Ne-  
 storio palam anathema divisset, quo a se dicto a-  
 nathemate, sua subinde scripta contra Sanctum  
 Cyrillum Alexandrinum damnavit Theodoretus;  
 tum quia etiam judicia de scriptis Theodoretii &  
 de Epistola Ibe in Concilio Chalcedonensi lata,  
 non fuerunt approbata a Sancto Leone Papa.  
 Conscripta siquidem definitione fidei in Synodo  
 Chalcedonensi, Actione sexta, & conditis Cano-  
 nibus eidem Actioni subnexis, de singularibus  
 postea & privatis Episcoporum causis actum est,  
 quarum judicium non fuit confirmatum a Sancto  
 Leone, qui auctoritatem Synodi Chalcedonensis  
 in sola fidei definitione constrinxit. Mirum igitur  
 nemini videri debet, quod hæc de privatis  
 Episcoporum Causis in Concilio Chalcedonensi  
 lata judicia, & a Sancto Leone Papa non confir-  
 mata, denuo in quinta Synodo generali exami-  
 nata, & ad Crisim revocata fuerint, atque post  
 maturam & accuratam discussionem damnata sint  
 hæc tria Capitula, seu persona & scripta Theo-  
 dori Mopsuesteni, libri Theodoretii Cyri Episcopi  
 contra Sanctum Cyrillum Alexandrinum, & Epi-  
 stola Ibe Episcopi Edeseni ad Maximam Persam.  
 Qua de re, si plura scire desideres, leges Disser-  
 tationem quartam nostri Natalis Alexandri in Hi-  
 storiam Ecclesiasticam sexti sæculi.

D. Quam censuram inureres his, qui modo tria  
 Capitula damnare nollent, & pro illorum defen-  
 sione Apologias adornarent?

M. Eos appellarem temerarios, superbos & ino-  
 bedientes. Temerarios quidem, quia solemnem Ec-  
 clesiæ judicio in Concilio Œcumenico lato, a Ro-  
 manis Pontificibus confirmato, & omnium deinde  
 Ecclesiarum consensu recepto refragarentur. Su-  
 perbos dicerem, quia in hujusmodi Factorum Do-  
 ctrinalium cognitione sese perspicaciores universa  
 Ecclesia judicaret, suæque privata judicia, ut  
 plurimum errori obnoxia, totius Ecclesiæ judicio  
 ma-

matura cum deliberatione factæ anteponebant.  
 Demum, eos ceu inobedientes damnarem, quippe  
 qui in Doctrinalibus Factis, cujusmodi sunt tria  
 Capitula, judicio Ecclesiæ Catholicæ, quæ om-  
 nium Mater ac Magistra est, quæque in cen-  
 sura, seu in damnatione librorum Spiritus Sancti  
 lumine ad eorum pravum sensum, erroresque cog-  
 noscendos illustratur & regitur, pervacaciter mo-  
 rum genere detrectarent. Quo circa, jure opti-  
 mo castigari deberet audacia quorundam, qui  
 pro Origene, pro Theodoro, pro Abbate Joachimo,  
 pro Cassiano & Faustino, & pro Jansenio Ap-  
 ologias temere in vulgus sparserunt, & libros ab  
 illis editos ab erroribus, quos Ecclesia in his dam-  
 navit, vindicare voluerunt. Sane, ut obiter  
 dicam, si a judicio Factorum Doctrinalium ab  
 universali Ecclesia lato semel impune resillire liceat,  
 poterit quilibet pro omnibus Hæreticis ab  
 Ecclesia confixis Apologias pro suo nutu & arbi-  
 trio concinnare. Periclitabitur infallibilis tradi-  
 tionis auctoritas, quæ pendet e sensu librorum  
 Sanctorum Patrum ab Ecclesia Catholica præfixo.  
 Non poterit Ecclesia comprimere tumultus  
 & contentiones, quæ sæpius suboriuntur occasio-  
 ne sensus librorum, nec sanam doctrinam a falsa  
 & noxia, quæ in libris Authorum continetur,  
 certo valebit discernere. Quæ omnia quam op-  
 pido falsa sint, & Ecclesiæ auctoritati contraria,  
 nemo est qui statim non videat. Ecclesiæ itaque  
 judicio in his Doctrinalibus Factis, tamquam sac-  
 rarum anchoræ indivulso adherere debemus, nec un-  
 quam procaces illos imitari filios, qui reveren-  
 tiam atque observantiam matri debitam exhibere  
 renuentes, incertas cogitationes suas, ut inquit  
 Scriptura sacra, judicio universalis Ecclesiæ elato  
 supercilio anteponunt (a).

„ (a) Modo quidem temeritatis censuram  
 „ non effugeret, qui damnationi trium Capitu-  
 „ lorum refragaretur; non ita vero tunc cum  
 „ Schisma ea de causa serveret. Qui enim vero  
 „ tunc tria Capitula admittere recusabant, non  
 „ eodem modo omnes se continebant; alii etenim  
 „ ita ab eo assensu se abstinebant, metu ne quid  
 „ detraherent auctoritati Concilii Chalcedonen-  
 „ sis; simul vero communicare non recusabant  
 „ cum illis, qui damnationi eorumdem Capitu-  
 „ lorum adhaerant, probe scientes, admitti ab  
 „ illis & damnationem Capitulorum & Chalce-  
 „ donensis auctoritatem. Alii vero ita refraga-  
 „ bantur quintæ Synodo, ut alienos a fide judi-  
 „ carent eos, qui eandem quintam Synodum  
 „ propugnabant, ideoque velut alienos illos a fi-  
 „ de Catholica a communione sua rejiciebant.  
 „ Postremi hujus generis reputabantur Aquilejen-  
 „ ses, quos proinde Romani Pontifices a commu-  
 „ nione segregaverant. Cum vicissim alios mo-  
 „ deratiora sectantes ferebant, nec communione  
 „ Romanæ Ecclesiæ indignos reputabant. Itæ S.  
 „ Gregorius Amalasantam Reginam, quæ sane  
 „ inter rejicientes Capitula censebatur, appella-  
 „ bat filiam, & sæpe literis suis amore plenis  
 „ fovebat. Discrimen hoc, & ea, quæ hac us-  
 „ que adnotavi, debeo Cl. Patri de Rubens, qui  
 „ hæc monet cap. 22. Aliud est tria non con-

„ demnare Capitula, aut Synodum quintam cum  
 „ condemnatione Capitulorum non suscipere.  
 „ Aliud certe consensu damnationi denegato se-  
 „ cedere ab illis qui Capitula proscribebant, ac  
 „ Synodum venerabantur, summæ temeritatis erat  
 „ tria Capitula post Œcumenicæ judicium Syno-  
 „ di, post solemnem Romani Pontificis confirma-  
 „ tionem condemnare nolle; Schismaticum vero  
 „ iis communionem negare, qui damnaverant ea,  
 „ summosque Pontifices ac Synodum arguere, ac  
 „ si ea damnantes errassent. Hoc ab Ecclesia, a  
 „ Pontificibus, ac Catholicis improbatum execra-  
 „ tumque; illud aliquando permissum, donec pru-  
 „ dentis œconomia tempore elapso, nemo Ca-  
 „ tholica reputari communionem dignus debuit,  
 „ qui Synodum suscipere ac tria proscribere Ca-  
 „ pitula recusaret. Quod tandem judicium suum  
 „ vir doctus concludit verbis S. Gregorii regest.  
 „ lib. IV. epist. XXXIX. nam in ea Synodo V.  
 „ & de personis tantummodo, non autem de fide  
 „ aliquid gestum est.

## COLLOQUIUM III.

De Conciliis in sexto Ecclesiæ sæculo celebratis, &  
 de rebus quæ in his gestæ sunt.

D. Priusquam de Conciliis Nationalibus &  
 Provincialibus, in quibus sexto sæculo  
 subortis contentiones finis impositus est, vel  
 sancita & instaurata fuit Ecclesiæ Disciplina, ser-  
 monem instituamus; quasdam quæstiones circa  
 quintam Synodum generalem, quæ sicut in superi-  
 ori Colloquio dicebas, tria Capitula damnavit,  
 breviter cum tua bona venia proponam, quarum  
 dilucidatio haud parum juvabit ad pleniorum hu-  
 jusce quintæ Synodi generalis notitiam assequen-  
 dam. In primis igitur a te quæro, quis convo-  
 caverit quintam Synodum generalem, quisve ei  
 præfuerit?

M. Quintam Synodum generalem, quæ est se-  
 cunda Constantinopolitana Œcumenica, convoca-  
 vit Justinianus Imperator, consentiente tamen Vi-  
 gilio Romano Pontifice. Adfuere tres Patriar-  
 chæ, & clxx. Episcopi, eique præfuit Eutychius  
 Patriarcha Constantinopolitanus, præesse tamen  
 jure suo poterat Vigilus Summus Pontifex, si ju-  
 re suo uti voluisset, quo tamen usus non est,  
 quia Synodo interesse noluit. Octo Collationi-  
 bus absoluta est hæc Synodus: In prima Colla-  
 tione lecta est Justiniani ad Synodum sacra jus-  
 sio, qua Imperator significabat, se istam Syno-  
 dum generalem convocasse, ut, eliminatis Hære-  
 sibus, optatam Ecclesiæ quietem post tot ab A-  
 cephalis excitatos tumultus, dare posset. Sed ab  
 hac Synodo cum Papa Vigilus abesset, sine cujus  
 præsentia vel per se, vel per suos Legatos Con-  
 ciliium Œcumenicum esse non posse probe intel-  
 ligerent Episcopi Orientales, nobilissima ad eum-  
 dem destinata trium Patriarcharum, aliorumque  
 Antistitum Legatione, Vigilium etiam atque etiam  
 rogant, ut Synodum præsentia sua digna-  
 retur, & secum de tribus Capitalibus disputare  
 haud gravaretur. His Legatis reposuit Vigilus,  
 se